

Gentilot. Catalog. Hist. Prof. n. CXV.  
olim 265.

**M** Embraneus foliorum 8. est Codex ille antiquissimus literis Gothicis, sive Toletanis ab Ulphila Gotthorum Episcopo inventis scriptus, ut putat Lambecius, qui de eo agit, & Annales Francorum ab anno Incarnationis Domini 714. usque ad annum Ludovici Pii IV. seu annum Christi 817. in eo comprehensos, integros edidit Comment. lib. 2. à pag. 364. usque ad pag. 373. At enim vero eos Annales, paucissimis verbis exceptis, diu ante Lambecium ex Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi vulgaverat Quercetanus Scriptor. Histor. Franc. Tom. 3. à pag. 504. usque 509. Sunt pars prior Chronici, quod ipse Hildensheimense inscripsit. Ego, ut eruditi de scriptura iudicium ferre possint, illius specimen in as incidi curavi, & adposui.

Apud eundem Gentilot. Hist. Prof. num.  
LXXLVI. olim 266.

**M** Embraneus foliorum num. 8. initio & sine mutilis, seculi IX. ut apparet; in quo hæc continentur.

I. Fragmentum Annalium Francicorum ab anno 794. usque ad annum 803. Auctore non designato. Ejus quod superest, initium hoc est: cum reliquo devoto populo. Quibus resedentibus (sic) apud Christianissimum Principem Carolum pervenit ad aures eorum hæresis illa &c. Finis: & ipse (Karolus) sine hoste fecit eodem anno, excepto quod scaras suas transmissit in circuitu, ubi necesse fuit. Integrum istud fragmentum vulgavit Lambecius Lib. 2. Comment. à pag. 377. usque 383. Unde vero is comperit, scriptum fuisse propria, ut ipse loquitur, Auctoris manu, juxta cum ignarissimis scio.

II. Fol. 5. Dialogus Christi &c.

Ex ejusdem Gentiloti Catalogo num. DCLIV.  
olim 323.

III. A fol. 55. Annales Francorum à morte Caroli Martelli, idest ab anno 741. usque ad annum 828. qui Annales, modico intervallo relicto Eginharto, sine ulla inscriptione, eademque manu, connectuntur. Manu non admodum vetusta prætexta est iis Annalibus hæc nota: Hucusque Eginhartus est editus; quæ sequuntur, à me reperta sunt. Quam notam forte adscripsit Justus Reuberus, qui ignorans, eos Annales ab Hermanno Comite à Nuencare jam publici juris factos, eosdem intexuit Synagmati Scriptorum rerum Germanicarum, quod vulgavit anno 1584. fol. Eorum porro Annalium initium sic se habet: Hoc anno Carolus Major-domus diem obiit, tres filios heredes relinquens &c. Finis: ubi & missam &c.

(\*) Male à Lambecio sic ponitur: Incipit Liber se-

Ex eodem Gentiloti Catalogo num.  
DCCCCLXXX. olim 147.

**M** Embraneus constans foliis 97. sub fine seculi 13. aut initium 14. scriptus, in quo continentur Caroli Magni Vita, aliique Annales Francorum hac serie.

I. Caroli Magni Vita per Eginhartum &c.  
II. A fol. 15. Annales Francorum ab anno 741. usque ad 829. quos Hermannus à Nuencare Sacri Imperii Germanici Comes de Auctoris nomine dubius princeps edidit. Marquardus Freberus Adelmo, vel secundum alios Ademaro Monacho Benedicino, Justus Reuberus Astronomo cuidam Ludovici Regis domestico, Duchesnius Eginharto adscriptos recudi fecerunt. Duchesnii conjecturas confirmat hic Codex. Vid. ejus Præfationem Tom. II. Script. Hist. Franc. pag. 232. Inscriptio horum Annalium miniata sic se habet: Incipit Liber de gestis rebus à Karolo Magno (\*) Initium: Hoc anno Karolus Major Domus diem obiit, tres filios heredes relinquens Carolomannum scilicet, Pippinum, atque Griffonem &c. Finis: Ibi & Missam Sancti Martini &c. celebravit. Atque ad hunc modum desinunt editiones Nuencarii, Freberi, & Duchesnii. Reuberus laciniam adtextam habet à Vita Ludovici Pii desumptam.

Ex eodem Gentilot. Catalogo num.  
DCCCCLXXXIII. olim 163.

**M** Embraneus foliorum 80. septingentos ab hinc annos scriptus, & optima nota. Continentur eo Annales Francorum, qui Fuldenses appellantur. Ab anno C. 714. usque ad annum 887. inclusive. Primus hos Annales edidit Petrus Pitheus usque ad annum 893. quam editionem pluribus in locis suppletam, emendatam, & usque ad annum 900. perditam renovarunt Marquardus Freberus Tom. I. Scriptorum rerum Germanicarum, & Andreas Duchesne Tom. II. Scriptorum Hist. Francorum, à pag. 531. In Codice nostro sine ulla inscriptione sic incipiunt: Pippinus filius Ansigifi Dux Francorum post mortem VVolfaldi Ducis partem Austriæ regebat &c. Desinunt: unde mente consternati, pariterque confusi discesserunt.

Sebastianus Tegnagelius diligens plane Cæsarea Bibliotheca olim curator contulit hunc Codicem cum Pitheana editione, & ad oram MS. adnotavit locos tum discrepantes, tum in vulgato exemplo non inventos. Eos locos Tegnagelii iudicia secutus Lambecius Tom. II. pag. 345. ubi hunc Codicem recensuit, omnes protulit. At si posteriores editiones Freberi, & Chesnii, quas ignorare is non potuit aut saltem non debuit, cum MS. contulisset, tunc utique eo labore supersedere potuisset; cum omnia illa supplementa vel in utraque, vel in alterutra editione habeantur, ut cuius, qui comparationem instituet, perspicuum fiet. Excipias tamen velim in actis anni 781. verba illa:

San-

cundus de rebus à Karolo Magno gestis.